

BX1749  
T6  
1769-70  
v.4

DIVI THOMAE  
AQUINATIS  
DOCTORIS ANGLICANAE  
ORDINIS PRÆDICATORUM  
OPERA

JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.  
AD PLURIMA EXEMPLA COMPARATAM.



FONDO DE BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL MONASTERO DE NUEVO LEON

132675



EX TYPOGRAPHIA BLASII ROMAN.  
MATRITI: MDCCCLXX.  
SUPERIORUM PERMISSU

FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS,  
ORDINIS PRÆDICATORUM,

# ADMONITIO PRÆVIA,

in qua

- I. *Veteres allegantur qui recensent S. Thomæ Opus, quod Summa contra Gentiles inscribi solet, hortatore S. Raimundo de Pennafort elucubratum.*
- II. *Genuinus Operis titulus constituitur: definitur tempus quo illud Aquinas confecit.*
- III. *Operis distributio. Theologia naturalis, & revelata simul conjunctæ: ac methodus, quæ in utraque illustranda servatur.*
- IV. *Commentarius Francisci Silvestri. Reginaldi Lucarini correctiones cum animadversionibus.*
- V. *Hebraica versio à Josepho Maria Ciantes elaborata: Græca à Demetrio Cydonio: itemque animadversiones.*
- VI. 1. *Solidissima S. Thomæ doctrinæ specimen in eo argumento, quod Religionis revelatæ veritatem spectat: ac primo natura lumine non omnes possunt veritates ad Deum pertinentes innotescere. 2. Istas revelare gratuito favore potuit Deus: itemque alias, quæ eodem natura lumine investigari possunt. 3. Utrasque re ipsa supremum Numen revelavit. 4. Perperam objiciuntur, quæ mysteria revelata jactabant Gentiles, ac jactant Mahometani. 5. Rationi naturali adversa non sunt mysteria Fidei Christianæ. 6. Supra ipsam rationem attolluntur, ac ordinem constituunt natura qualibet creata superiorem.*



**P**reclearissimum Opus, quod *Summa contra Gentiles* vulgo inscribi solet, gnesion Sancti Thomæ Aquinatis fœrum agnoscunt omnes. Servatam hæcenus methodum sequor ego: veteresque primo loco Scriptores afferro, qui hocce Sancti Thomæ Opus recensuerunt. Ptolomæi Lucensis verba sunt Libro XXII. Hist. Eccl. capite xxiv. *Scriptis etiam tempore ejusdem Pontificis (Urbani IV.) librum contra Gentiles. Guillelmus de Tocco in Vita Aquinatis capite. xv. num. 18. apud Bollandi Continuatores: Scripsit etiam Librum, ait, qui intulatur contra Gentiles, stylo disertum, & rationum novitate & subtilitate profundum. In quo miro modo ostendit, quod ex proprio ingenio habuit, & quod raptu mentis in Deum orationibus impetravit.*

*Librum, quem vocant Ptolomæus, & Guillelmus de Tocco; Summam, & Opus vocant alii, in quatuor libros tributum. Ait enim Bernardus Guidonis apud Echardum, & Oudinum: Scripsit & librum, qui intulatur Summa contra Gentiles: quem in quatuor libros distinxit in uno tamen Volumine. Est autem Opus hoc stylo disertum &c. Bartholomæus Logotheta in Fragmento apud Baluzium: Opus contra Gentiles, quod continet quatuor libros. Nicolaus Trivetus in Chronico ad annum 1274. Contra Gentiles IV. Libros scripsit. Joannes de Columna: Summam contra Gentiles fecit. Paria demum sunt, quæ perhibent testimonia Valloletanus, Pignonus, S. Antoninus.*

Hanc inceptam lucubrationem, completamque ab Aquinate, hortatore Sancto Raimundo de Pennafort, qui totus incumbere in conversionem Maurorum, & Infidelium, memoriæ posterorum tradidit Petrus Marsilius. Tertiodecimo sæculo, & insequenti ineunte, florebat Vir illustris, Catalanus natione, Domus nostræ Barchinonensis professor Ordinis Prædicatorum, multis nominibus probitatis, & literarum peritiæ spectabilis. Commentarium scripsit de Gestis Jacobi I. Regis Aragonum: quo ex Opere hæcenus inedito prolixum de Sancto Raimundo testimonium desumptum prostat apud Franciscum Diagam in Historia ejusdem Sancti hispanice scripta, ac typis edita anno 1601. & apud Joannem Tamayo de Salazar Tomo I. Martyrologii Hispani, ac demum inter Testimonia selecta, quæ *Summæ Raimundinæ* præmissa legimus in Editione ab Honorato Vincentio Lager accurata, ac Verona anno 1744. recusa. Verba sunt: „Con-  
versionem etiam infidelium ardentè desiderans, rogavit eximum Doctorem Sacræ Paginæ Magistrum in  
Theologia F. Thomam de Aquino ejusdem Ordinis. ut opus aliquod faceret contra infidelium errores per  
quod & tenebrarum tolleretur caligo, & veri Solis doctrina credere nolentibus panderetur. Fecit Magis-  
ter ille, quod tanti Patris humilis deprecatio requirebat, & *Summam*, quæ contra Gentiles intulatur  
composuit, quæ pro illa materia non habuisse parem creditur. Suppari testi deneganda fides non est.  
Ad annum 1275. vitam egit S. Raimundus: proque zelo, quo Saracenum & Infidelium salutem æternam



deperibat, potuit Aquinani opus injungere, aut operis jam concepti complementum suadere, quod eorum ad conversionem maxime utile foret. Calamo Petri Marsili scripta prostat *S. Raimundi Vita*, eademque Barchinone anno 1601. typis edita: quæ tamen non est, nisi *Excerptum* ex Commentario de Rebus Gestis Jacobi I. Regis Aragonum. Elogium ejus accuratissimum consule apud Echaridum inter Scriptores Ordinis Prædicatorum.

II. Præstantissimum opus in editis passim exemplis inscribitur, *Summa Catholica Fidei contra Gentiles*: aut *Summa Catholica Fidei contra Gentiles Libri quatuor*. De Tituli antiquitate dubitare non sinunt Bernardus Guidonis, Joannes Columna, Petrus Marsilius. Ait primus: *Scriptis est librum, qui intitulatur Summa contra Gentiles*. Alter: *Summam, contra Gentiles fecit*. Postremus: *Summam, quæ contra Gentiles intitulatur, composuit*. Non adeo constantem hanc fuisse Operis inscriptionem, aliorum testimonia evincere videntur. Illud appellat Ptolomæus Lucensis, *Librum contra Gentiles*: Logotheta, *Opus contra Gentiles*: Guillelmus de Tocco, *Librum qui intitulatur contra Gentiles*. In Mss. demum Codicibus dictum legimus, *Librum de Veritate fidei contra errores infidelium*.

Secundum libri primi Caput diligentius expendens ego, intentionem Auctoris & propositum adsequor: inscribendumque putaverim *Opus de Veritate Fidei Catholicae*. Textum integrum Aquinatis affero: *Propositum, iniquitatis, nostræ intentionis est, veritates, quas Fides Catholica profitetur, pro nostro modulo manifestare, errores eliminando contrarios*. Generatim istos in calce Capituli enumerat, *Macometistarum, & Paganorum, qui non consentiunt nobiscum in auctoritate alicujus Scripturæ: Judæorum, contra quos disputare possumus per Vetus Testamentum: & Hæreticorum, contra quos per Novum*. Quod ergo elucubravit Opus, non vocat *Summam* Thomas: neque adamussim illa verba, *contra Gentiles*, conveniunt; cum non solum *Paganos*, verumetiam *Muhamedanos, Judæos, & homines Hæreticos* eodem in Opere confutaverit. Hinc eadem verba, ipsa ferme Aquinatis ætate, non alia de causa adjecta existimaverim, nisi quia potior pars Operis *contra Gentiles* insumitur.

Obvia difficultas emergit ex illis divinis veritatibus, quas diligenter & prolixè illustrat Aquinas, cæteroque lumini naturæ perviis. Hujusmodi sunt Supremi Numinis existentia, & unitas, ac cætera plura divina attributa, ac potentia & providentia: quæ sicuti *Veritates Fidei Catholicae* appellari non debuissent videntur, ita titulus Operis non fuerit *de Veritate Fidei Catholicae*. Hanc ipse Thomas difficultatem præoccupat, omnemque tollit de genuino, quem adserimus, titulo dubitationem. Distinguit namque capite III. *duplicem veritatis divinæ modum*: alterius quidem, quæ *facultatem omnem humanæ rationis excedit*: alterius etiam, ad quam ratio naturalis pertinere potest. Primi generis veritates sola Dei libera revelatione innotescent: credimus eas, ac scire non possumus. Veritates alterius generis humanæ scientiæ subesse possunt: easdemque tamen, tametsi *inquisitioni rationis pervia sint, supernaturali revelatione proponi credendas debuisse*, pluribus ostendit Sanctus Thomas. Hinc fit, integrum veluti corpus *Fidei Catholicae*, utroque constitui veritatum genere, quæ ad utramque classem pertinent: easque sine dubio Sacræ Scripturæ præstant, quæ divinam revelationem complectuntur. Potuit ergo debuitque Opus à Thoma compositum aptissime inscribi, *de Veritate Fidei Catholicae*: in quo prædictæ veritates omnes exponuntur, & vindicantur.

Ad tempus, quo elucubratum Opus fuit, definiendum sermo noster convertitur. Certas patefacit temporarias notas Ptolomæus Lucensis. In Libro Historiæ Ecclesiasticæ XXII. diserte narrat capite xxxiii. *Anna Domini 1261. in Cathedra Petri Urbanum IV. sedisse, assumptum in decolatione Sancti Joannis Baptiste: sedisse autem tribus annis, mense uno*. Addit insequente capite xxiv. *Tunc Fratrem Thomam rediisse de Parisiis ex certis causis: ad petitionem Urbani multa fecisse, & scripsisse: ac etiam tempore ejusdem Pontificis, Librum contra Gentiles ab eo confectum*. A die 29. Augusti anni 1261. tenuit Romanam. Sedem Urbanus ad annum 1264. diemque 2. mensis Octobris: quod utique temporis intervallum est, quo Thomas operi contra Gentiles, seu de Veritate Fidei Catholicae elaborando insudavit. Laurea Magisterii jam pridem in Parisiensi Universitate donatus fuerat; ut verissime scribere Petrus Marsilius potuerit, Sanctum Raimundum de Pennafort rogavisse *Eximium Doctorem Sacræ Paginæ Magistrum in Theologia Fratrem Thomam de Aquino, ut Opus aliquod faceret contra infidelium errores*.

In Processu Canonizationis narratio quædam legitur, *Fratri Antonio de Brixia facta à Fratre Nicolao de Marsiliaco*: quæ calculis Ptolomæi Lucensis repugnare videtur. Verba refero, quæ habentur capite vii. num. 67. apud Bollandi Continuatores; ad diem vii. Mensis Martii: *Frater Antoni, ego fui cum Fratre Thoma Parisiis: & coram Deo dico, quod numquam vidi hominem tantæ puritatis & paupertatis amatorem. Qui cum scriberet, & componeret Librum contra Gentiles, non habebat chartas; sed in schedulis scripsit ipsum*. Parisios Thomas proficiscitur anno 1245. ibique degit ad finem anni 1248. sacræ Theologiæ auditor sub Alberti Magni disciplina. In amplissimam remigravit urbem anno 1253. quo agones scholasticos pro adsequendo Magisterii gradu sustinere cœpit. Dissidio composito, quod Parisienses Academici moverant contra Fratres Mendicantes, non nisi anno 1256. aut insequente 1257. effectus renunciatusque Magister Scholæ Theologiæ nomine suo rexit. Post biennium regimen Scholæ pro more cessit aliis: discedit Parisiis, Religionis & Ordinis negotia alibi pertractaturus: ac demum in Italiam revertitur, Petri cathedram tenente Urbano IV. Ad ipsum Parisiense Gymnasium secunda vice regendum, anno 1269. missus est: expletoque munere, in Italiam anno 1271. revertitur. Hanc ego chronographiam in aliis Dissertationibus, Veterum probatissimorum testium fide, veluti certiores digessi. Qua posita, laudati Scriptores duo, Ptolomæus Lucensis, & Nicolaus de Marsiliaco, qui tradere repugnantia videntur, facillimo negotio revocari ad concordiam possunt. Parisiis nempe post annum 1253. vel etiam 1256. opus contra Gentiles animo moliebat Thomas, ipsumque delineare incepserat, ut Nicolaus de Marsiliaco testatur: quod ab ipso demum, reduce in Italiam, post annum 1261. completum est, perfectumque, teste Ptolomæo.

Refert Ludovicus Valcoletanus, eo Aquinatem tempore in hujus Operis elucubrationem incubuisse, cum ad mensam S. Ludovici Francorum Regis accumbens, in ea verba eripit: *Modo conclusum est contra hæresim Manichæi*. Id ergo acciderit, cum Parisiis opus delineabat Thomas regens prima vice Gymnasium Sanjacobum, post annum 1254. quo in Regnum ex Oriente remigraverat Rex Sanctissimus.

At rem hanc ad *Summam Theologicam* refert Guillelmus de Tocco. Verba sunt disserrissima in Vita capite vii. num. 44. *Cum semel Sanctus Ludovicus Rex Franciæ ipsum Thomam ad mensam suam invitasset, & ipse se humiliter excusasset propter opus Summæ in Theologia, quod dictaret tunc temporis: obtinente autem mandato Regis, dimisso suo studio, cum illa imaginatione, quam manens in cella conceperat, accessit ad Regem. Juxta quem existens in mensa, subito veritate fidei inspirata, mensam percussit, & dixit: *Modo conclusum est contra hæresim Manichæi*. Sanctus Ludovicus, nova in Saracenos expeditione suscepta, Parisiis anno 1270. discessit Kalendis Martiis, ut habet Chronographia Spondani. Eam in urbem Regiam anno 1269. remigraverat Thomas; iterum ad regendum Gymnasium nostrum in Comitibus Ordinis ad Pentecostem celebratis designatus: quo tempore *Theologicam Summam*, teste Ptolomæo Lucensi, elaborabat. Hinc tempus patet, quo ad mensam Regis invitari potuerit: seseque pro excusato haberi, humiliter excusaverit propter opus *Summæ in Theologia*.*

Bollandi Continuatores Nota admonent: in eo quo utebantur, Codice Mss. legi, propter *Summæ Compendium*. Theologiæ compendium à Thoma confectum, veteres Scriptores testantur: illudque inter Opuscula prostat. Sed hæc opera levior, (ut habet Echaridus in Notis ad Elogium Aquinatis,) non legitimam præbuisset excusationem, ut à mensa Regis se retraheret: neque tamen inverisimile videtur, *Compendio Theologico* etiam tum adlaborare subcisivis horis potuisse Thomam.

III. In Libros quatuor tributum à Sanctissimo Auctore, prostat Opus. Singulis præmissum legitur Proœmium. Uno absolvuntur Capite, quæ tertio libro, & quarto Proœmia præfixa sunt: Capita complectuntur plura, quæ librum primum præcedunt, & secundum. Singula vero ab aliquo ducta sunt aptissimo Sacræ Scripturæ textu.

Tum *Naturalem Theologiam*, tum *Revelatam* versat omnem Aquinas. Divinas veritates illas, tametsi divina manifestatas revelatione, naturæ tamen lumine adsequibiles, exponit, ac vindicat duobus integris primis libris, ac tertii parte. Tuetur, ac illustrat libro quarto *Mysteria Fidei*, quæ luminis naturalis vim, potestatem, & efficaciam excedunt: cujusmodi sunt *Personarum trinitas, Filii divinitas & Spiritus Sancti, Verbi Dei incarnatio, una in duplici natura persona cum duplici voluntate & operatione, Conceptio ex Virgine matre, Sacramenta, Resurrectio corporum, judicium finale*. Tertii superioris libri partem residuam in iis exponendis Legis Evangelicæ documentis insumit, quæ ad partem moralem pertinent, *ultima vera hominis beatitudo, amor Dei, ejusque cultu, consiliis evangelicis, peccato, & merito, ac debita pœna, divinæ gratiæ auxiliis*.

Non eodem in utraque Theologia, *Naturali, & Revelata*, procedit modo prudens, ac sapiens Thomas. Primi generis veritates explanat, contrariosque errantis humanæ mentis refellit lapsus, principiis adhibitis naturæ lumine notis, ac Philosophorum testimoniis: robustamque confirmationem addit, quæ sumitur ex divina revelatione, Sanctorumque Ecclesiæ Patrum documentis. V. g. Dei æternitatem argumentis plurimis, quæ naturalis luminis penetratione effiantur, probat ac evincit. Tum revelationis testimonium postremo adducit: *Huic autem veritati, inquit, divina auctoritas testimonium perhibet. Unde Psalm. 101. Tu autem Domine in æternum permanes. Et ibid. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Pari modo philosophicis rationibus docet cap. xxii. *quod in Deo idem est esse, & essentia*: additque Dei revelationem in calce Capituli: *Hanc autem sublimem veritatem, inquit, Moyses à Domino est edoctus, qui cum quæreret à Domino Exodi 111. dicens: Si dixerint ad me filii Israel, quod est Nomen ejus; quid dicam eis? Dominus respondit: Ego sum, qui sum: sic dices filiis Israel. Hanc passim, aut frequentius adhibet ille, servatque methodum*.

Generis alterius veritates, quæ *Mysteria fidei* appellantur, divinæ revelationis lumine, quod fulget in Veteris Novique Testamenti libris, veluti proprio ac nativo, illustrat Aquinas: naturalesque postea, ac philosophicas rationes addit, ut lumini naturali haud unquam revelationem repugnare ostendat, ejusdemque luminis industria probabiles quasdam *Mysteriorum fidei* verisimilitudines proponat, ac hostium qui eodem abutuntur lumine, sophismata depellat. Insigne exemplum offert Secundum Caput Libri Quarti, ubi quæritur: *Quid sit generatio, paternitas, & filiatio in divinis?* Thomæ responsio hæc est: *Principium autem considerationis à secreto Divinæ Generationis sumentes, quid de ea secundum Sacræ Scripturæ documenta teneri debeat, præmittamus*. Dehinc vero ea, quæ contra veritatem fidei Infidelitas adinvenit, argumenta ponamus: quorum solutione subjecta, hujus considerationis propositum consequemur. Tradit igitur nobis Sacra Scriptura in *Divinis Paternitatis, & Filiationis* nomina; Jesum Christum *Filium Dei* con-testans, quod in Scriptura Novi Testamenti frequentissime invenitur: Dicitur enim *Matth. xi. Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius*. Ad hoc Marcus suum Evangelium incipit, dicens: *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei*. Joannes etiam Evangelista hoc frequenter ostendit. Dicit enim *Joan. 111. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manu ejus*. Et *Joan. v. Sicut Pater suscitavit mortuos & vivificavit, sic & Filius quos vult, vivificat*. Paulus etiam Apostolus hæc verba frequenter interserit. Dicit enim ad Roman. 1. *Segregarus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo*. Et ad Hebr. 1. *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio*. Hoc etiam traditur, licet rarius, in Scripturis Veteris Testamenti. Dicitur enim *Proverb. xxx. Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus, si nostri?* In Psalmo legitur: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*. Et iterum: *Ipse invocavit me, Pater meus es tu*. Et quamvis hæc duo ultima verba aliqui vellent ad sensum alium retorquere, ut quod dicitur, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*, ad ipsum Davidem referatur: quod vero dicitur, *ipse invocavit me, pater meus es tu*, Salomoni attribuat: tamen ea, quæ conjunguntur utrique, hoc omnino non ita esse ostendunt. Neque enim *Davidi* potest competere, quod additur: *Ego hodie genui te*. Et quod subditur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; cum ejus regnum non usque ad terminos terræ fuerit dilatatum, ut Historia libri Regum declarat. Neque etiam *Salomoni* potest omnino competere, quod dicitur: *Ipse invocavit me, Pater meus es tu*; cum subdat: *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli*. Unde datur intelligi, quod quia quædam præmissis verbis annexa, *Davidi*, vel *Salomoni* possint congruere, quædam vero nequaquam; quod de  *Davide & Salomone* hæc verba dicantur secundum morem Scrip-